



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

56. Narcissvs puerulus in morbo lethali rectè confirmatur ab Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

Ius videtur cogendus ad testandum contra se ipsum, cum nullus magis sit consanguineus, quam quisque sibi ipsi. *Vnde sequitur,* reum nec teneri compatere etiam citatum, quando immineret periculum vitæ, bonorum temporalium &c.

Ad *primum* in contrarium dicimus, Iudicem habere potestatem obligandi reum ad aperiendam veritatem, quando non est periculum tanti damni, aut res plenè est probata, & nullum superest effugium. Item habet potestatem obligandi non quidem ad culpam, sed ad torturam, ut scilicet reus fateatur crimen suum, si nolit experiri tormenta. Ad *secundum* dicimus, Iudicem in proposito iustè quidem interrogare, sed non iustè obligare ad aperiendam veritatem, quia illud iure potest, non istud; ex quo patet, non sequi, posse esse bellum ex utrâque parte iustum, quia non est contrarietas circa idem ius. Censuras graviores, quas immeritò aliqui effutièrunt, vanas & contemptibiles ostendunt tum *Authoritas*, tum ratio allata sententiæ nostræ.

*LVI. Narcissus puerulus in lethalem incidit morbum, qui cum confirmatus nondum sit, petit parens ab Episcopo, qui confirmandi causâ illuc advenerat, ut moribundo etiam hoc Sacramentum conferre velit, quod & ab eodem impetrat. Quaeritur. Vtrum licitè hoc Episcopus fecerit?*

Videtur non bene fecisse. Tum quia ex usu  
Ecclesiæ

Ecclesiæ habetur, infantes non confirmari. Tum quia in moribundo cessat finis confirmationis, qui est roborari ad pugnam contra fidei hostes; unde etiam videmus, adultos non confirmari in articulo mortis, si eosque distulerint.

Resp. Narcissum laudabiliter fuisse confirmatum, Ita habet communis Theolog. Tum quia absolutè est capax & dignus, adeoque eo fructu non priuandus. Tum quia ex Catechismo Rom. licitè confirmatur vniversim infantes, quamvis convenientius expectetur maior ætas, si per valetudinem expectari possit.

*Ad primum in contrarium dicimus, ex vsu Ecclesiæ non constare, quod infantes in articulo mortis non confirmantur, sed tantum, quod rarò hoc contingat propter raram occasionem. Ad secundum, per accidens esse hoc. Quoad adultos, optandum esset, vt & ipsi in articulo mortis confirmari se curarent; nam hoc Sacramentum, si obeant, prodessè eis potest ad maiorem gratiam & gloriam, & ad tentationes illius angustię superandas, ad quod quamuis instituta sit extrema vnctio, tamen vnita virtus fortior, vt rectè Sanch *select. D. 40. n. 4.* Quod si tamen omittant, non peccant mortaliter, vt contra Adrianum communis habet Theologorum sententia, quia nec ex script. nec ex traditione, nec sine, aut*  
institui-

in institutione Sacramenti præceptum tale colligitur. Et Canones, qui in contrarium afferuntur, satis explicantur de necessitate ad melius esse.

LVII. *Nemefius sponsalia contraxit cum Nemefiâ, sed inde desiderio Neomisiæ captus cum hac inscia priorum etiam contraxit sponsalia, datamq; sponsonem iuramento confirmat, & eidem copulam superaddit. Queritur. Quenam ex his sponsalibus valeant? Et si ex hypothesi priora valeant, eaque dein ob aliam causam ex mutuo vtriusque consensu dissoluantur, num hoc ipso posteriora valere incipiant, usque stare debeat Nemefius?*

Videntur posteriora valere. Ita Pontius L. 12. c. 14. n. 4. Rebellus, Coninck, Palao D. 1. de spons. pun. 22. n. 6. & post alios Dian. P. 3. Tr. 4. Res. 210. Mouentur, quia quando duo contendunt, vnus eorum de lucro, alter de damno vitando, fauendum potius huic. Sed secunda fœmina passa est damnum, prior verò solùm de lucro agit. Ergo &c.

Resp. Priora sponsalia valere. Ita Sanchez. Tom 1. de Matr. L. 1. D. 49. n. 5. Henriquez L. 11. de Matr. cap. 56. Hurtadus Disp. 2. Difficult. 8. n. 30. & alij. Tum quia Nemefius ad sponsalia posteriora non tenetur ratione promissionis etiam iuratæ, cum sit nulla vt relata ad tempus juris alterius; est quippe rei illicitæ præsuppositis prioribus sponsalibus: neque ratione damni illati posteriori Sponsæ, quia  
G huic